


Matthias Stein Carl Ernst Schwan von

Disputatio Iuridica exhibens Fasciculum Conclusionum Theorico-Practicarum De Delictis


Rostochii: Richelius, 1698


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741717220>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 24.Dec.1698
Stein, Matth.






1698 d 24 Dec: Rostock diff.

Praes: Matthias Stein — resp. Carl Ernst C. B. a. Schwan

fasciculus conclusionum theoretico-practicarum
de delictis



DISPUTATIO JURIDICA

exhibens

FASCICULUM
CONCLUSIONUM THEO-
RICO-PRACTICARUM DE
DELICTIS,

QVAM

ANNUENTE DIVINA GRATIA, AUTHORITATE
ATQVE CONSENSU

MAGNIF. ICTORUM ORDINIS IN INCLYTA AD
VARNUM ACADEMIA

PRÆSIDE

VIRO PRÆ-NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO

DN. MATTHIA *Stein/*

J. U. D. CODICIS PROFESSORE CELEBERRIMO,
HOCQVE TEMPORE

PATRIÆ ACADEMIÆ RECTORE MAGNIFICO
DN. PRÆCEPTORE, PATRONO AC HO-
SPITE SUO OMNI OBSERVANTIÆ GENERE
DEVENERANDO

DIE XXIV. DECEMBR. ANNO M. DC. XCIIIX. *1698*

PUBLICO EXAMINI EXERCITII GRATIA SUBMITTIT
AUTHOR ET RESPONDENS

CAROLUS ERNESTUS L. B. à *Schwan/*

SAXO-MISN.

ROSTOCHII,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr.

DISPUTATIO
FASCIOLUM
COROLLE
RIGOR FACIENDUM DE
DILECTIO
A HONORATISSIMO
MAGISTRO JOHANNI
DIE MARTII
IN D. CLAUDI
P. R. BOADEN & K. TORRE MACHINCO
D. R. SEPTORR. PALLOMAYNO.
SINE BOGISE ORNAMENTIS GRÆCIS
CAROLUS
FOR T...

Unverfälscht
geprüft
1804

AD
PERILLUSTREM AC GENEROSISSIMUM
DOMINUM,
DN. JOHANNEM
ERNESTUM
LIBERUM BARONEM A SCHWAN,
DOMINUM IN VENUS-Berg / Thum/
HEROLD ET Drehbach/
DOMINUM, MÆCENATEM ET
PATRONUM OPTIMUM.

Nec quicquam, VIR PERILLUSTRIS,
auribus Tuis dare, nec superbis elogiorum,
ornamentis FILIUM TUUM, Amicum at-
que Convictorem meum jucundissimum, cu-
mulare animus est, in communia tamen studia
nefas me committere arbitratus, si ulterius totius Acade-
miæ hujus Effatum & expressum ab ipsa veritate testimo-
nium dicere differrem: Siquidem non vidimus hactenus
FILIUM TUUM luxuriâ & lasciviâ diffluentem, aut A-
lexandrinis immerlum deliciis, non in prospero tessera-
rum jactu hilarem, sed deditum optimis potius studiis,
atque reliquis omnibus virtutum & eruditionis cupidissi-
mis præfulgentem, in quo ad omne studiorum genus in-
natus ipsi ardor in continuas quasi erumpit flammæ, to-
ties enim publica Opponentium subsellia omnium applau-
su occupantemprehendimus, insuper ad objecta quæ
):(2 vis

vis Præfide Viro Consultissimo Dn. JOH. KLEINIO,
Antecessore in hac Alma celeberrimo, Collega nostro
æstumatissimo, feliciter respondentem audivimus. Nunc
in eadem Cathedra aliud ingenii sui documentum, Di-
sputationem à se & suo Marte, nisi quod ob materia dif-
ficultatem pauca quædam hinc inde adjecerim, pulche-
rime eruditissimeque elaboratam producit, & quantum
de ardua delicti materia indefessâ diligentia comprehen-
derit, quaque oris promptitudine de ista disserere pos-
sit, in solenni eruditorum confessu sub Moderamine meo
demonstrat: Sicque alto jam Stemmata fulgens etiam
summam, quæ à studiis venit, maximo utique ardore quæ-
rit famam, satis gnarus Lumina duplicata majori coru-
scare flamma, ac melius esse splendidum Familiæ illustris
fulgorem propriis adaugere meritis, quam pulveres ma-
jorum industriâ suscitatos duntaxat attollere: Proin Ti-
bi, VIR PERILLUSTRIS, de rari exempli FILIO,
quem inter præcipua Athenæi nostri decora merito habe-
mus atque colimus, quemque illustre aliquando patriæ Suæ
ornamentum fore ex tot indiciis non vano prævidemus
omine, animitus gratulor, ac DEUM devota invoco
mente, ut sua in ISTO dona majoribus in dies incre-
mentis coronet, eaque in seculi nostri solatium & Rei-
publicæ atque Ecclesiæ salutem provehat: Ita & TE VIR
PERILLUSTRIS, valere mihi que favere exopto

PERILLUSTR. I. GENEROSITATIS

Servitiis promissimus Cultor

MATTHIAS Stein/D.



B. C. D.
PRÆFAMEN.



Sane si materia quædam
ventilatione digna, ardua
omnino causa delicti erit;
siquidem facile Respubl.
graviter lædi, & DEus ter-
rarum Dominus ad vindictam inflamma-
ri potest, quando delicta manent impu-
nita, aut innocentium effunditur sangvis,
quo semel fuso restitutio in integrum à
Prætore impetrari nequit: Hinc ut ego eò
certior hac de re fierem, apud animum
meum constitui fasciculum aliquod Con-
clusionum Theorico - Practicarum de
delictis publicè exhibere, quæ licet à me
tanquam à Juvene in foro Academico ad-
huc versante proponantur, cum alioquin
istud Viri in Theoria & praxi versatissimi
sit negotium, intentio tamen mea antea
expressa excusationem ubiq; promittit.

A

De

I.
Delictum est factum improbum sponte admis-
sum, l. 9. §. 5. ff. de public. Veſtig. l. 39. de furt.
l. 14. ad L. Cornel. de ſicar. cujus diviſio in pu-
blicum & privatum, rubr. ff. de delict. priv. &
publ. adhuc hodie obtinet, neque exiſtimandum privata
cum publicis propterea eſſe confuſa; quod hodie per ſan-
ctionem Carolinam pœna capitalis, circumſtantiis exigen-
tibus, in furto dictata ſit. Schultz. Synopf. Inſt. ad pr. tit. de
oblig. qua ex delict. naſc. lit. a. Vid. Weſenb. in paratit. ff.
de furt. N. 15. nullibi enim prædictâ Conſtitutione furtum
in numerum publicorum judiciorum refertur, quod ta-
men requiritur l. 1. ff. de public. judic. l. 3. §. ſin. ff. de Præ-
varicat. Præterea ex furto æqvè ac Jure Civili adhuc ho-
die civiliter agere permiſſum, teſtante expreſſô textu C. C. C.
in art. 157. & 158. A qua ſententia multi quidem DD, quos
allegat Hopp. ad §. 5. J. de oblig. qua ex delict. naſc. ſine
juſta tamen ratione recedunt, ſiquidem nondum proba-
runt, præfatam conſtitutionem generalem generali qua-
dam conſvetudine contraria in Imperio Romano eſſe ab-
rogatam, nam quamvis quidem rariffimè hodie actione
furti civiliter agatur, ex eo tamen non ſtatim inferendum,
plane non poſſe civiliter agi, lex enim ſemper loqui præ-
ſumitur, donec contrarium firmiter probetur. l. 27. C. de
Teſtam. Dn. Stryk. in Not. ad Lauterb. de furt. p. 900. verb.
abiit. Hoc tamen juris hodie eſſe puto, quod illud duplum vel
quadruplum non ſit mera pœna, ſed ſimplum contineat,
adeoque actionem furti civilem eſſe mixtam arg. d. art. 157.
verb. oder noch einfach werth bezahlen. Dn. Stryk. d. L.
Hopp. d. l.

II.

Jure Civ. fures ultimo non puniuntur ſupplicio, uti
apertè

apertè constat ex nov. 134. c. fin. vers. pro furto. Ibi: Pro furto autem nolumus omninò quodlibet membrum abscindi aut NB. mori, sed aliter eum castigari; add. auth. sed novo Jure C. de serv. fugit: Verum per constitutionem Imperatoris Frederici I. ad mortem usque pœna furti extenditur, puta si quis quinque solidos valens vel plus furatus sit. 2. f. 27. §. ult. expressius autem recentiori Constit. Crimin. Carolina. art. 159. 160. 162. Ubi disertis verbis statuitur, quod masculus suspendi, fœmina vero culeo insuta aqvis suffocari vel pro ratione loci & personæ aliâ ejusdem generis pœna affici debeat: Und soll nemlich darumb der Mann mit dem Stränge / und die Frau mit dem Wasser oder sonsten in andere Wege nach jedes Landes Gebrauch / vom Leben zum Tode gestraffet werden / quæ suffocationis pœna vero in terris Saxoniceis furto à fœminis commisso non observatur, siquidem ibi fœminæ æque ac mares suspendii pœnâ plectuntur. Carpz. Prax. Crim. part. 2. quæst. 82. n. 70. & 71. An autem hac pœna laquei justa sit, valdè controversatur? Ego adstipulor sententiæ celeberrimi Jcti Dni Carpzovii, justitiam istius pœnæ erudite propugnantis, in pr. Crim. 9. 77. Siquidem (1.) pœna furti in lege Mosaica est tantum forensis, cujus determinatio ad legislatorem civilem pertinet, ita quidem, ut circumstantiis urgentibus & delictis crescentibus pœnam exasperare queat. arg. l. 16. §. ult. de pœn. id quod vel ipsa lex Mosaica innuit, quia interdum pœna in furto erat quadrupli, interdum septupli. Exod. 22. v. 1. Proverb. 6. v. 31. Struv. Ex 48. tb. 39. (2.) In pœnarum impositione non tantum attendenda damni reparatio, quæ primus est istius finis, sicut & emendatio delinquentis, verum etiam securitati publicæ est prospiciendum. Vid. Dn. Vitriar. Præceptor olim meus enixè devenerandus. ad Univ. Jus Civ. tit. de oblig. quæ ex delict. nasc. n. 33.

§ 34 p. 698. § 699. Quis autem unquam de platea ad plateam, de domo ad domum absque spoliatione migrare posset, vel noctu securus somnum capere? Si tam atrox non adhiberetur poena Carpz. *dict. loc.* Wesenb. *N. 15. ff. de furt.* ibique Hahn. nec aliquid faciunt argumenta dissentientium, utpote quæ satis, refutantur à Carpz. *d. l. n. 29. § seqq.* & Hahn. *ad Wes. d. l.* Nec dubito quin, licet Judicibus nonnullis vel Jurisconsultis injusta hæc poena videatur, nihilominus istam salva conscientia dictare possint, imò quoque debeant, quia Judici non competit à scripta lege recedere & suo arbitrio æquitate fingere, siquidem adstrictus legibus secundum leges judicare tenetur. Hopp. *ad S. s. J. de oblig. quæ ex delict. nasc.* Hahn. *ad Wes. d. l. in fin.*

III.

Agitata valde quæstio est, Num fur, qui jam jam suspensus rupto laqueo vivus in terram cadit, denuo secunda vice sit suspendendus vel minori poena afficiendus, vel planè absolvendus? Mihi videtur juri illorum sententia conformior, qui asserunt, talem furem denuo esse suspendendum, & quidem (1.) ideo, quia, quamdiu mors nondum subsecuta, nec Reipublicæ nec sententiæ satisfactum, utpote quæ vult dass der Dieb mit dem Strange vom Leben zum Tode gebracht werde *art. 162. ord. Crim. Car.* Jam vero (2.) effectum sententiæ omninò sortiri debet *arg. l. 14. C. de pœn. § l. 45. S. 1. ff. de re judicat.* nec (3.) judex vel mitior vel durior lege esse debet, imò (4.) hoc casu magna aperiretur fenestra impunitati delictorum, siquidem fures eorumque cognati hoc effugium animadvertentes, facillè carnificem corrumpere possent, ut funiculo apparenter quidem firmo, re ipsa vero infirmiore uteretur. Tenent & hanc sententiam Dn. Struv. *in Syn-tagm. jur. Civ. Ex. 48. Th. 25. n. 13.* Hahn, *ad Wes. parat. ff.*
De

De Pœn. N. 9. Jul. Clar. l. 5. sent. §. fin. qv. 98. n. 9. Jacob. de Bellov. in pr. Crim. l. 2. c. 14. n. 8. Treutl. Vol. 2. Disp. 30. Tb. 3. lit. g. Henr. Bocer. in tract. De furt. c. 3. n. 47. Joh. Harpr. ad §. 5. J. De Oblig. qvæ ex Del. nasc. Papo lib. 24. tit. 17. Arrest. 14. qui testatur se vidisse, ita in practica observari: Idem in statutis nonnullis ita decisum est. In statutis eqvidem Electoralibus Palatinis. part. 5. tit. 70. §. 2. expressa sunt hæc verba: Zum Andern geschicht auch wohl / daß in der Execution, so mit dem Strang geschicht / der Strang bricht / welches aus Ungeschicklichkeit des Nachrichters / oder sonst verubrsachet wird: Dannahero auch etliche gezwweifelt / ob dieselbige vom Strick abgefallene Missethäter zum Tod fürtere zu bringen / oder beym Leben zu lassen. Diesem Zwweifel zu begegnen / wollen wir / daß alsbald durch den Nachrichter der Beruhrtheilte wiederumb auffgehencft / und also vom Leben zum Tode / laut ergangenen Urthel gerichtet werde. Contraria opinio magis arridet Dn. Carpz. pr. Crim. p. 2. qvæst. 88. num. 40. seqq. ibiqve DD. plena allegatis manu.

IV.

Quando quis in extrema necessitate famis vel frigoris constitutus tantillum subtrahit, quo famem pellat vel vile tegumentum surripit, tunc propriè furtum non committit, nec inde pœnâ affici potest. CCC. art. 166 modo tamen (1.) vitam aliter conservare non potuerit. (2.) Magistratus ipsi succurrere noluerit, (3.) Dominus ipse re, qvæ aufertur, sine insigni damno carere possit, sicqve hac ratione non in pari constituatur necessitate, & vel ejus vel familiæ vita inde non pendeat, Tandem (4.) debitè imploratus officia humanitatis ultro negaverit, sic enim Dominio suo indignum se reddit, adeoque ejusmodi res tanquam Dominio & justa possessione vacua occupari potest.

test. c. 26. *Distinct. 5. de Consecrat. arg. l. 5. §. 12. 13. de nov. oper. nunc. jung. c. 3. X. de furt. Struv. S. I. C. Ex. 48. Tb. 15. Carpz. pr. Cr. p. 2. q. 83. n. 38. Damhaud. in pr. Cr. c. 110. n. 37. nec hoc contrariatur Juri Divino, siquidem uvas vel fructus quis auferre potest, ut statim comedat. Deuter. 23. vers. penult. & ult. An verò, si talis ad pinguiorem fortunam veniat, ad restitutionem teneatur? DD. non conveniunt, negativam sententiam cum Jul. Claro *Lib. 5. sent. §. furtum n. 98.* veriore ducō, siquidem talis non in re illicita versatur & permisso juris id facit. Vid. Puffend. *lib. 2. cap. 6. §. 6.* Licet in contrariam sententiam abeant, Hopp. *ad §. 1. J. de oblig. quæ ex delict. nasc.* Dnus Vitriar. *ad Univ. Jus Civ. p. 644. n. 26. d. 1. ibiq. allegat. Grotius.* Aliter tamen res sese habet, si quis rem auferat, ut pauperibus distribuatur, talis enim proprie furtum committit. *arg. l. 54. §. 1. ff. de furt. quia est species lucri ex alieno largiri, & beneficii sibi debitorem acquirere Dnus Vitriarius d. 1.**

V.

Quando plures magnum quidem fecerunt furtum, factâ autem æquali divisione modicum seu parvum existat, quod valorem 5. ducatorum non ascendit, neuter laquei pœna est plectendus. Berlich. *p. 5. Concl. 43. n. 121.* Carpzov. *qv. 78. num. 37.* Nam, quando ad pœnam capitalem vel corporis afflictivam proceditur, factum uniuscujusque, & quantum quisque in delicto fecit, considerandum est. *l. fin. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Contrarium quidem docet Wesenbec. *N. 11. in fin. ff. de furt.* istius vero sententiam tyrannicam, impiam & injustam appellat Bacchov. *in Not. ibid.*

VI.

Si administratores res fidei suæ concreditas interceperint, regulariter à laquei pœna sunt immunes, *arg. l. 55. §. 1.*

§. 1. ff. de administ. tut. Bocer. Tr. de furt. Cap. 2. num. 137.
Carpzov. qv. 85. n. 13. Cum administrator non tam in-
vito Domino contrectet, quam potius perfide agat. Nec
obstat art. 170. C. C. C. Vid. Georg. Adami Struven *Disput.*
de furib. à pœna laquei immunib. cap. 4. §. 1. seqq. In Saxo-
nia Electorali vero hoc est speciale, quod administrator
si contra præstitum juramentum summam 100. florenor-
um dolosô & fraudulento animo in proprios usus con-
verteret, laqueo suspendi possit. Carpz. d. l. n. 33.

VII.

Ad delicta privata refertur etiam damnum injuria à
libero homine datum, ex quo descendit actio L. Aquiliæ
competens ad æstimationem damni dati, quæ non ex ac-
cidenti, licet id ipsum adstruere conetur Bacchov. *Disp. 5.*
de action. ad §. 19. sed per se est pœnalis mixta per §. 9. J. de
Leg. Aquil. Brunem. *Ex. Just. 24. add. §. 9.* Hopp. *ibid.*
Lindem. eod. §. 15. ista autem æstimatio duplex est *vel in re*
vel extrarem. Priori modo non tantum æstimatur damnum
ex tempore damni dati, sed quanti retro anno secundum
primum caput, vel 30. diebus proximis secundum alte-
rum caput, plurimi fuerit. *Extrarem* damnum omne illud
æstimatur, quod propter interitum aut corruptionem rei
nobis aliunde contigerit, ut omne interesse §. 10. J. de *Leg.*
Aquil. l. 21. seqq. ff. eod. Schnobel *Disput. 7. ff. eod. §. 9.*
Frantzk. *ibid. n. 12.* Prædictum æstimandi modum ex pri-
mo & secundo capite etiam hodie observandum esse docet
Sichard. *adrubr. C. eod. n. 13. seqq.* qui istum ab imperitis le-
guleis negligi conqueritur, cui assentitur Hunn. *ad Treutl.*
Vol. 1. D. 18. §. 6. lit. A. Communis tamen DD. Schola tra-
dit moribus nostris solummodo attendi tempus damni da-
ti, una cum interesse reliquo. Struv. *in S. J. C. Ex. 14. §. 25.*
Carpz. p. 4. C. 37. d. 8. Sneiduw. *ad §. 13. J. de Leg. Aquil.*
Hopp.

Hopp. *ad S. 9. J. cod.* Eckolt. *ad ff. eod.* Lauterb. *in Comp. ff. eod. vers. objectum.* Hæc observantiâ præsupposita nulla amplius erit differentia inter primum & tertium caput L. Aquilæ, imo nec sic amplius pœnalis, sed rei persecutoria erit hæc actio. Dn. Stryck. *in not. ad Lauterb. d. l. Hopp. ad d. S. 9.*

VIII.

Quando liber homo est vulneratus adhuc hodie æstimari solent operæ, quibus caruit aut cariturus est, & in quantum in utiliter factus est. *S. 1. in fin. J. de oblig. qvæ ex quasi delict.* Lauterb. *in Comp. ff. ad Leg. Aquil. vers. objectum,* ibique Dn. Stryck. *in notis.* In Patria mea peculiari-ter dispositum reperitur, quod quando ita damnum alicui datum, actor jurato damnum æstimare queat salva tamen taxatione & moderatione judicis, aut si ipsemet jurare nolit, petere possit, Reo juramentum imponi, ut vel summam pecuniæ à se expressam solvat, vel eam juramento diminuat, quod vocatur juramentum minutionis seu minorationis *der Verminderungs Eyd.* Carpz. *prax. Cr. pare. 2. qv. 95. n. 19.* Non vero in æstimatione habenda est ratio (1.) Deformitatis atque cicatricum, *l. f. ff. de his qui effud. l. 3. ff. si quadr. paup.* quamvis communiter hodie excipi soleant virgines, nam quando istis cicatrices in facie sunt illatæ, maximum patiuntur damnum, siquidem iis forma pro dote est, adeoque postea non æque commode nubere possunt. Brunn. *qv. 12. ff. ad L. Aquil. Wesenb. paratit. ff. de his qui effud. N. 5.* Videatur tamen Dn. Stryck. *in not. ad Laut. tit. ff. Ad L. Aquil. verb. opera.* (2.) Nec æstimantur dolores. Lauterb. *in Comp. ff. eod. tit. vers. objectum.* Bocer. *cl. 4. d. 2. §. 36. lit. b.* Moribus tamen receptum, ut certa pecunia vulnerato in compensationem doloris solvatur (*Schmerzen-Geld*) quod quamvis neget, &

& ab indoctis rabulis forensibus peti solere asserat Besold. in *Tbesaur. pract. voc. Abtrag* / communi tamen observantia patet, hoc nomine vulnerato pro iudicis arbitrio aliquid adjudicari solere. Hopp. *ad S. 13. J. de L. Aquil.* Quando autem liber homo occisus est, hodie pœna est arbitraria & pro gravitate culpæ admittæ determinanda, quam ad fustigationem extendi posse, si culpa lata homicidium commissum sit, caret dubiõ. Carpz. *pr. Cr. qv. 27. n. 33.* Uxor etiam & heredes occisi ratione impensarum in Medicos & curationem factarum, item lucri quod interversum & damni quod illatum, agere possunt. *l. 23. S. 8. C. 9. ff. ad L. Aquil.* Si autem non aliquamdiu decubuerit, sed statim perierit, heredes L. Aquiliæ actionem non habere, verius iudico eum Bacchov. *ad Treutl. V. l. d. 18. §. 10. lit. g.* quem sequitur Brunn. *Ex. 24. ad S. 10. J. de L. Aquil.* Lauterb. *ad tit. ff. ad L. Aquil. pr. vers. Requiritur igitur damnum.* ibique Dn. Stryk. *in Not.* nam ita non est diminutum patrimonium, quod verò contingit, quando talis diu decumbit & ita impensæ in curationem fiunt. In praxi tamen indistinctè actionem utilem L. Aquiliæ obtinere docent Hopp. *ad pr. J. de L. Aquil.* Mev. *p. 1. d. 211.* Carpz. *pr. Cr. q. 39.* Aliique. Jure Saxonico in homicidio culposo, quando pœna corporis afflictiva locum non habet, solvitur agnatis occisi ratione damni sibi ita illati certa pecunia das Wehrgeld. Carpz. *pr. Cr. qv. 34. n. 11. C. seq. & quidem pro masculino 20. thaleri, pro fœmina 10.* Carpz. *d. l. n. 27.*

IX.

Culpæ, ex qua damnum oritur, annumeratur etiam imperitia *l. 132. ff. de R. J.* eorum scilicet, qui artem aliquam profitentur & exercent, quales sunt v. g. Medici, Chirurghi & alii, qui, si per imperitiam deliquerint, de

B

damno

damno dato actione L. Aquilæ tenentur. l. 7. §. ult. l. 8. pr. l. 27. §. 29. ff. §. 7. J. de L. Aquil. l. 6. §. 7. ff. de offic. Pras. Etiam Medicus in medicamentorum genere vel methodo medendi peccans arbitrarie hodie punitur. C. C. C. art. 134. Si autem accesserit dolus, sicque consulto nociva homini præbuerit medicamenta, pœnâ homicidii ordinaria afficiendus. d. Art. 134. Ibi: So wäre Er als ein fürsächlicher Mörder zu straffen. Ibiqve Matth. Stephan. jung. Brunn. Ex. Inst. 25. ad §. 6. & 7. de L. Aquil. Lindem. §. 12. eod. Gail. 2. O. III. n. 26. Wesenb. in paratit. ff. N. 4. ad L. Aquil. alias Medico artis suæ præcepta sequenti casus mortalitatis imputari non debet. d. l. 6. §. 7. ff. de off. Pras. Gail. 2. O. III. n. 25. Lauterb. in Comp. ff. ad L. Aquil. vers. injuria datum. Judex autem, ex imperitia malè judicans, quia publica autoritate etiam invitus constituitur, actione L. Aquilæ non tenetur, sed ex quasi delicto actione in factum conveniendus. pr. J. de oblig. qua ex quasi delict. l. ult. ff. de extraord. cognit. Ludwell, ad d. pr. Inst. n. 8. Harpr. ibid. n. 8. seqq. Diff. Donell. l. 15. Jur. Civ. c. 27. in f.

X.

Injuriarum nomine tenentur omnes qui doli sunt capaces & animum habent injuriandi, inde nec excipiuntur Clerici, si ex privato affectu, neglectis admonitionis gradibus publicè in suggestu in aliquem invehant verbis injuriosis, vel pro concione certam personam, alicujus criminis inconsultò arguunt. arg. l. 32. de injur. Brunnem. J. E. Lib. 2. cap. 18. §. 63. ibique Dn. Stryk. add. Recept. Imp. de Ann. 1530. §. Wir haben 55. ibi in fin. darzu Stumpferens / Schmähens und Lästerens sich enthalten: &c. Adeò ut nec immunes sint à recantatione, docente Carpzov. pr. Crim. p. 2. qu. 96. §. 19. Lauterb. in Comp. ff. de injur. vers. injuriam faciunt: Sicque responsum esse tradit Hahn. ad Wesenb.

*Weserb. de injur. verb. sed & Magistratus: licet dissentiat
Farinac. p. 3. Oper. Crim. qv. 105. n. 75. modo tamen animus
injuriandi evidentissime probetur. Berlich. 1. Dec. 66. n. 8.*

XI.

Injuriâ illatâ, sive realis sive verbalis sit, fama injuriati neutiq̄vâ læditur. *arg. l. 5. §. 1. ff. de extraordin. cognit*
Hujus enim nullum est turpe factum, sed illius tantum, qui injurias intulit. Hinc (a) rectè inter irrationabiles opificum consuetudines refertur illa, qvâ injuriatum opificem, licet nil probatum, pro infami habent, atqve ex collegio excludunt, donec famam suam contra injuriantem legitimè defenderit, vid. *Reformat. Polit. de Anno 1577. tit. Von Handwerks Söhnen 38. §. es sollen 4.* Unde (b) & verba & facta injuriosa propter Christianam Charitatem salva existimatione remitti possunt. *Carpzov. prax. Crim. q. 95. n. 90.* Si tamen certum & speciale alicui obijciatur crimen, isqve innocentiam suam non defendat, suspectus de isto redditur crimine, & ad hunc casum pertinet vulgatum istud assertum: *Crudelis est qui famam suam negligit.* *Conf. Const. Cr. Carol. Art. 25. vers. Ersilich ob: ibi: oder beziehen worden sey: add. Dn. Stryk. in not. ad Lauterb. p. 909. verb. sinistra opinio.* potest ergo quis injuriam illatam justè vindicare, si inde orta sinistra opinio latius serpat, ne delicta maneant impunita. *Ad Roman. cap. 13. vers. 4.* Necessè autem, si criminaliter agere velit, ut ipse, non per procuratorem instituat actionem. *l. ult. C. de injur.* propter pœnam talionis, cui per inscriptionem se subjicit Accusator. *l. ult. ff. de furt. nisi agere velit persona illustris. §. 10. f. de injur. l. fin. C. eod.* Prout & reus eo casu per procuratorem se defendere nequit *d. l. fin. C. & d. §. 10. f. eod. nisi sit persona illustris. d. l. fin. C.*
Hodie tamen non duntaxat à parte actoris ob cessantem

incriptionem per *Consl. Cr. Carol. art. 12.* modo cautionem præstiterit, sed & à parte rei admittitur procurator. *Coler. p. 1. Dec. 141. n. 5.* nisi injuria sit atrocissima, ita ut ad pœnam corporis afflictivam perveniri possit, quo casu & hodie excluditur procurator : *Carpz. pr. Cr. quest. 95. n. 56. 57. Lauterb. in Comp. ff. de injur. vers. extraordinaria.*

XII.

Non parum controvertitur, Num formale sit libelli famosi requisitum, non apponi Autoris nomen ? Negant id ipsum Dominus Vitriarius *tit. de injur. p. 727. n. 30.* Wesenbec. *in paratit. ff. de injur. N. 19.* ibique Hahn, Bocer. *de injur. c. 2. n. 8.* Hun. *ad Treutl. Vol. 2. D. 30. b. 5. q. 40.* Harprecht. *ad. S. 1. J. de Injur.* Affirmant autem Lauterb. *in Comp. ff. de injur. in f.* ibique Dn. Stryk, Hopp. *ad d. S. 1. J. Carp. p. 4. C. 44. d. 3. & in prax. Cr. quest. 98. n. 38.* aliique, quorum vexilla seqvor *arg. l. un. C. de famos. libell. Consl. Cr. Car. Art. no.* ibi : und sich nach Ordnung und Recht nicht unterschreibet : *Nec obstat. Ordin. Imp. de Anno 1577. tit. 35. S.* und setzen : ibi : Es habe der Autor seinen Nahmen unterschret oder nicht : Nam respiciunt illa verba non famosum libellum, sed hoc duntaxat textus iste vult, ne libri ad infamiam & contemptum alterius scripti imprimantur & vendantur, etiamsi autoris nomen istis libris adjectum sit : Igitur verba : Es habe der Autor, applicanda sunt ad verbum *Schriſtten* / non ad verba famos *Bücher* / de iis enim agitur in fine *d. tit. 35. S.* und setzen : ubi expresse suppressio nominis supponitur, ibi : biß der rechte Autor besunden. Similis de istius pœna est concertatio, siquidem istam de Jure Civili indistin. Cte ultimum esse supplicium *per. l. un. C. de famos. libell.* docent Lauterb. *in Comp. ff. de injur. in fin.* Farinac. *part. 3. oper. Crim. q. 105. n. 423.* Damhaud. *prax. Cr. c. 125. n. 2.* aff
pœ-

pœnam mortis restringendam esse ad crimen capitale in libello famoso objectum, & in *d. l. un. C. pœnam talionis* intelligendam esse, rectè propugnant Dn. Stryk. *ad Lauterb. d. l. Carpz. p. 4. C. 44. d. 1. & in prax. Crim. q. 98. n. 41. Hopp. ad d. §. 1. J. de injur. Harpr. ibid. n. 160. seqq.* capitalis enim pœna, cujus in *d. l. un. C. injicitur* mentio, non tantum in jure dicitur illa, quæ damnato vitam, sed etiam quæ libertatem, vel civitatem adimit, adeoque caput è civitate tollit *l. 2. 28. ff. de pœn. l. 2. ff. de publ. judic. l. 103. ff. de V. S.* Qvam talionis pœnam etiam statuit *C. C. C. d. Art. 110.*

XIII.

In crimine læsæ Majestatis non solum Autor istius atrocissimi delicti punitur, sed & ejus filii notantur infamia, omniqve successione & testamenti factione penitus privantur. *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj. adeo, ut nec illis salva maneat legitima arg. d. l. 5.* Qvam pœnam & hodiè adhuc obtinere evincit *A. B. cap. 24. & C. C. C. Art. 218. Lauterb. in Comp. ff. ad L. Jul. Maj. in f. Hopp. ad §. 3. J. de publ. Judic.*

XIV.

Magni momenti quæstio est, quando quis mandat alicui, ut alterum tantum vulneret, annexa expressa inhibitione, ne eundem occidat, num tamen isto occisio, ordinaria mandanti sit dictanda Legis Corneliæ pœna? Negativæ patrocinium præstant sententiæ Berger. *in resolution ad tit. ff. Lauterb. ad L. Cornel. de sicar. quæst. 2. Harprecht ad §. 5. J. de publ. Judic. n. 80. §. 131. Frantzk. Exerc. fin. q. 8.* Affirmativam autem tuentur sententiam Lauterb. *d. tit. ibiqve Stryk. in not. verb. vulnerari. Carpz. pr. Cr. q. 4. n. 19. Brunn. quæst. 12. ff. ad L. Cornel. de sicar. aliqve, quorum opinio mihi placet, quia tale quid mandat, ex quo mors sequi potest, adeoque istius causam præbet, qualis non differt*

ab eō, qui reapse occidit, per expr. l. 15. ff. ad L. Cornel. de
ficar. nec protestatio facto repugnans juvat protestantem
c. 9. X. de Constit. licet enim non directè, consequenter ta-
men occidendi habet animum, dum tale committit fa-
ctum, quod toties parit mortem, ictus siquidem non da-
tur ad mensuram, proin tale est negotium, cujus fines
strictè observari non possunt. Si autem forsan mandata-
rius armorum genus, quò ex mandato uti debebat, pror-
sus mutaverit. v. gr. si mandem, ut cæsim feriat, ille vero
punctim id expediat, aut sclopetum adhibeat, tunc de
occiso mandantem non teneri, autumat Dn. Stryk. in not.
ad Lauterb. d. l.

XV.

De delictis publicis commissis, quorum pœna est ul-
timum supplicium, permessa est transactio l. 18. C. de
transact. cujus ratio datur in l. 1. in fin. ff. de Bon. eor. qui
mort. sibi consciv. Nec reclamatur huic regula, quod pu-
blicè interfit, ne delicta maneant impunita l. 51. §. ult.
ff. ad L. Aquil. Cum per transactionem privatorum
Magistratui non præjudicetur, sed iste ex officio nihilo-
minus procedere possit, quia transactio est stricti juris &
de persona in personam non extenditur l. 3. ff. de transact.
præterea res inter alios acta tertio non præjudicat, atque
adeo, licet pars in sui præjudicium pœnam remittere pos-
sit. l. penult. C. de pact. non tamen eo ipso jus quæsitum Rei-
publ. tollere potest. l. 38. ff. de pact. Dn. Stryk. U. M. ff. de
transact. §. 12. ubi allegatur istius rei præjudicium. Salvo er-
go jure Reipublicæ demum toleratur transactio, exceptò
adulteriò de quo nequaquam transigere licet per decanta-
tam dictam l. 18. C. In suppeditanda rationis diversitate
DD. quidem non conveniunt, uti videre est apud Ludwell,
ad Wes. N. 5. verb. Ratio autem cur ff. de transact. & Brunn. ad
d. l.

d. l. 18. optima tamen mihi videtur, quam producit Dn. Stryk. *in Diss. de Civilitate proficua c. 6. §. 4.* quia scilicet, cum transactio non fiat *gratis*, sed aliquo dato, maritus accipiendo aliquid ab adultero incurreret præsumptionem lenocinii, qualis pejor eò, qui patientiam suam prætextu incredulitatis adumbrat, secundum *l. 29. ff. ad L. Jul. de adult.* Nec merentur assensum Heig. *pract. quest. 29. n. 79.* Carpz. *pr. Crim. qb. 55. n. 4.* docentes hodie rem secus se habere & impunè etiam de adulterio transigi posse: Distingvendum enim est, inter gratuitam remissionem adulterii: Et transactionem quæ fit aliquò datò, huic nec hodie locus est, docente Brunnem. *ad d. l. 18. n. 17.* Prior autem in tantum permissa, ut non duntaxat cesset dissolutio matrimonii, sed & favore matrimonii minuatur pœna. Dn. Stryk. *in not. ad Lauterb. de transact. verb. permiss. est trans. actio.* Brunn. *ad d. l. 18.* nam ita cessat præsumptio lenocinii.


XVI.


In Crimen *Falsincidit* ille, qui Nobilem ex insigni ac præclara familia sese natum profitetur & ab aliis vel hujus vel alterius familiæ Nobilibus eo nomine pecuniam vel aliquid quicquam emendicat, aliove modo eosdem fallit: Brunnem. *ad l. un. C. de Mutat. nomin. n. 2.* Carpz. *pr. Crim. quest. 93. n. 33. & 36.* Qui se Notarium esse affirmat, & licet talis non sit creatus; instrumenta tamen conficit, item si quis se fingit Comitem Palatinum, creat Notarios & legitimat spurios, cum non sit Comes Palatinus. Prosper. Farinac. *p. 6. oper. Crim. q. 150. n. 84.* Si tamen quis verbis duntaxat se Nobilem, Comitem Palatinum, &c. jactitat, nullum autem actum isti statui convenientem facit, nec per illum alios fallit, tunc mendacium quidem committit, ast non falsum *arg. l. 23. ff. ad L. Cornel. de fals.* Farinac. *d. l. n. 87. & 88.* Lauterb. *in compend. ff. ad L. Corn. de fals. p. 701. princ.* Cujus Crimis pœnam


nam variam legimus constitutam: Communiter autem tradunt DD., quod
pœna falsi in homine libero sit deportatio cum publicatione honorum, in
servo ultimum supplicium *L. 1. §. 1. ff. ad L. Cornel. de fals. Conf. Wissenb.
ibid. Th. 9.* Verum istud quidem in multis procedit casibus, non tamen in
omnibus, aliàs enim gravius, aliàs levius deportatione supplicium irroga-
tur pro qualitate admitti. *L. 1, 22. C. ad L. Cornel. de fals. l. 1. ff. ad L. Cor-
nel. de Sicar. l. 2. C. de fals. Monet. l. 31. l. 32. §. 1. ff. ad L. Cornel. de Sicar.
Nov. 17. Cap. 8. princ. Nov. 134. c. 13.* Ex quibus legibus pœnam hanc esse
jure Civili arbitrariam evidenter patet. Confer. Wissenbach. *d. l. Zoel. ad
L. Cornel. de fals. N. 3. Carpz. pr. Crim. d. 9. 93. n. 20.* cum qua conve-
nit Nemesis Carolina: *Artic. 112.* Ibi: Nachdem die Fälschung viel oder
wenig / böshafftig und schädlich geschicht etc. peinlich gestraffet wer-
den: *§ Art. 115. verb.* und darzu an den Pranger / oder Haß-Eisen
gestellet / mit Nuyten aufgebauen / des Landes verboten / oder sonst
nach Gelegenheit der Mißhandlung in andere Wege gestraffet wer-
den: Exemplum memorabile adducit Faber in *Codic. lib. 9. tit. 16. de Mu-
tat. nom. Def. 1. his verbis:* Cum Carnifex quidam honesti viri & Advoca-
tati nomen sibi arrogasset, seqvè pro agnato publicè jactitaret, falsò ta-
men & dolo malo, ut probi & nobilis viri existimationem læderet, aut
ab eo pecuniam, ne id faceret, extorqueret, putaret senatus, cadendum
virgis & exilio mulitandum esse. Pœnam verò, ut vocant, honorariam,
cui locus esse videbatur, consultò prætermisit, quod ejus conditionis ho-
mo honoris jacturam nullam facere posset, neqvè honorem, quem nul-
lum haberet, alteri dare vel reddere: *Notatu etiam digna historia* est, quæ
de Anna Clevensi, Henrici VIII. Angliæ Regis, deserta conjuge refer-
tur: scilicet extitisse quandam mulierem, quæ post mortem ipsius A. 1559.
se illam reginam ac quasi adhuc in vivis esset, falsò fingeret, donec tan-
dem fraude manifestata perpetuo fuit incarcerata. Conf. Autor der Mo-
nathlichen Unterredung, de Anno 1689. Mens. Decemb. & quidem in
append. pag. 1269. Ita, *Lector Benevole* magis voluntatem in rebus al-
tioribus aliquid peragendi, quam ipsum laborem, ut æstimes,
est, quod obnixè rogo.

DEO immortali sit Laus & Gloria.











d. l. 18. optima tamen mihi videtur, quæ
Stryk. in *Disp. de Civilitate proficua* c. 6. S.
cum transactio non fiat *gratis*, sed aliquo
accipiendo aliquid ab adultero incurreret
lenocinii, qualis pejor eò, qui patientiam
incredulitatis adumbrat, secundum l. 29.
dult. Nec merentur assensum Heig. *præc.*
Carpz. *pr. Crim. qv. ss. n. 4.* docentes hodie
bere & impunè etiam de adulterio transi-
gendum enim est, inter gratuitam remissio-
nem Et transactionem quæ fit aliquò datò, b-
cus est, docente Brunnem. *ad d. l. 18. n.*
in tantum permissa, ut non duntaxat cessat
trimonii, sed & favore matrimonii min-
Stryk. in *not. ad Lauterb. de transact. verb.*
actio. Brunn. *ad d. l. 18.* nam ita cessat præ-

XVI.

In Crimen *Falsi* incidit ille, qui Nobili
præclara familia sese natum profitetur &
vel alterius familiæ Nobilibus eo nomine
ud quicquam emendicat, aliove modo eos
nem. *ad l. un. C. de Mutat. nomin. n. 2.* Carp-
93. *n. 33. & 36.* Qui se Notarium esse affir-
non sit creatus; instrumenta tamen confi-
fingit Comitem Palatinum, creat Notario-
rios, cum non sit Comes Palatinus. Pro-
oper. Crim. q. 150. n. 84. Si tamen quis verb-
bilem, Comitem Palatinum, &c. jactitat,
Etum isti statui convenientem facit, nec pe-
tunc mendacium quidem committit, ast
23. ff. *ad L. Cornel. de fals. Farinac. d. l. n. 8.*
in compend. ff. ad L. Corn. de fals. p. 701. princ.

Dn.
licet,
ritus
onem
textu
de a-
n. 79.
e ha-
stin-
terii:
e lo-
utem
ma-
Dn.
trans.
cinii,

gni ac
u jus
el ali-
Brun-
qvast.
talis
vis se
t spu-
c. p. 6.
se No-
em a-
fallit,
arg. l.
nterb.
s pœ-
nam

